Elenchus lectionum publicarum, qvas professores, in Regia Academia Aboënsi,...

82 Aa 16/3

National Library of Sweden

A. Ω.

ELENCHUS
LECTIONUM [P]UBLICARUM,

QVAS

PROFESSORES, in Regia Academia Aboënſi, moderante ſic providentia Divina, â labentis anni MDCLXXXX.
dierum Canicularium fine, ad eorundem, anno ſeqventi, initium, Juventuti Academicæ proponere receperunt.

RECTORE
PETRO HAHN,
SCIENTIÆ NATURALIS PROF.

THEOLOGORUM *I.*

JACOBUS FLACHSENIUS, S. S. Theol. D. & Prof. Prim.
hoc anno, Divinâ affulgente gratiâ, publicè occupabitur *pri-
mùm* in explicandis quæ ſuperſunt XX. capp. GENESIOS; qui-
bus abſolutis, interpretationem EXODI ex textu, ut ſolet, O-
riginali, aggredietur: continuabitq; quantum licuerit; idq;
hora VIII. matutina in Audit. maximo. De exercitiis priva-
tis hujus anni, poſtmodum indicabit.

II.

ANDREAS PETRÆUS, S. S. Theol. Prof. Ordinarius,
Abſoluto, ex primicerio Evangeliſtarum Matthæo, Cap: XII.
ſeqventia auſpicabitur, & progredietur usque quò licuerit,
hora locoq; conſvetis: privatam etiam informationem de-
ſiderantibus communicabit.

III.

PETRUS LAURBECCHIUS, S.S.Th.D. & Profeſſor Ord.
qvemadmodum anno elapſo, ſecutus methodum Kœnigia-
nam, abſolverat ea, quæ Finem Theologiæ ejusq; Subjectum
ſpectant, Controverſias qvasque præcipuas compendioſè,
qvà theſin, qvà antitheſin, explicando: Pariter anno futuro,
divinâ adgubernante clementiâ, circa Principia & Media Sa-
lutis occupabitur, dicto ordine & eâdem, quæ dicta eſt, me-
thodo exponenda, qvantum DEUS gratiam & vires conceſſe-
rit progreſſurus; Idque horâ tertiâ pomeridianâ in Audi-
torio Maximo. Privatis Diſputationibus, abſolutâ Augu-
ſtanâ Confeſſione, Articulos Smalcaldicos proponet, Lectio-
nibus qvoque privatis enarrationem Breviarii Biblici conti-
nuaturus, horâ ſextâ matutinâ more ſveto.

ICTUS.

MATTHIAS SWEDERUS, Juris Svec. & Rom. Profeſſ. Ord.
ad finem anno ſuperiori perductis publicè Inſtitutionibus
[illegible] & inchoatis tum *Pufendorfio de officio Hominis &*
ſis *Regulis Juris antiqui*, privatim vero, Jure noſtro munici-
pali, & præterea Inſtitutionibus Juris, *Compendio Butneriano* com-
prehenſis, abſolutis; hoc anno, volente Deo, cum nec Pufen-
dorfium, nec memoratum Titulum ff. ad finem explicare
licuit, eosdem Tractatus publicè & alternatim continuare, &
privatim, aut Leges Provinciales, præmiſſâ Hiſtoriâ Juris
Svecani, de novo incipere, aut Proceſſum judicialem propo-
nere conſtituit, exhibiturus ſimul Auditoribus ſuis, ut pro-
ximo intervallo, ita inpoſterum, ſingulis hebdomadibus an-
ſam argumenti alicujus egregii diſputando ventilandi. Doce-
bit autem publicè horâ 2. pomeridiana, in Audit: Majori.

MEDICUS.

ELIAS TILLANDZ, Med: Doct. & Profeſſ. Ordin.
ſuperiori anno, qvintâ vice, adgreſſus eſt Medicinam, iuſto
partium ſervato ordine ut anteà, publicè explicandam. *Iſa-
gogicen* & *Phyſiologiam* medicam abſolvit. Hoc autem anno,
ſuffulciente Archiatro ſummo, *Pathologiam* & *Semejoticam* pro-
ponere decrevit. Idq; hora 1. in Audit. Acad. Maxim. Pri-
vatim *Anatomicas ſectiones*, & *Chirurgicas operationes*, ſuos Au-
ditores, facili methodo, docebit.

PHILOSOPHORUM. *I.*

M. JOHANNES FLACHSENIUS, Mathem. Prof. Ordinarius,
hoc anno, per DEI gratiam, abſolutis iis qvæ in doctrina &
calculo *Eclipſium* reſtant, *Architectonicam*, *Opticam*, *Staticam* &
Mechanicam publicè, via facili h. 2. pom. docebit; privatim verò
Geodæſiam & *Aſtrognoſiam* diligenter urgebit. In Profeſſione
Theol. extraordinaria, *Locos* illos qui L. de Eccleſia ſeqvun-
tur eâ qua juſſus eſt brevitate, ad finem perſeqvetur.

II.

M. DANIEL ACHRELIUS, Prof. Eloq: propter defectum
ſcriptorum penes Academicam juventutem; quem ſatis cum
temporis diſpendio, notavit hiſce annis, quibus Com: Cæ-
ſaris & Taciti Annales expoſuit; neceſſum habet cogitatio-
nes retrò flectere, hocque futuro anno publicè L: Annæ-
um Florum panegyriſtarum Principem, privatim verò di-
ſtinctis temporibus, Curtium & Velleium, Auctores ſatis fa-
cundos explanare, additis exercitiis ſtyli: additis diſſertatio-
nibus de notitia imperiorum, nullis perplexitatibus, nec in-
certis ac tritis nugis Scholarum oppletis.

III.

M. SIMON TALPO, Met. & Log. Prof. Ord: abſolutâ
parte Logicæ extra eſſentiali, nec non primâ eſſentiali, item
ad finem productis Metaphyſico & Pneumatico Collegiis
Diſputatoriis privatis; futuris Prælectionum intervallis, præ-
vio auxilio Divino, â ſecundâ parte Logicæ, quæ Axioma-
tica appellatur, initium faciendo, quousq; licuerit, progre-
dietur; In Collegiis privatis operam indefeſſam, ad votum
D.D. Auditorum profitetur ſe navaturum. Docebit autem
publice horâ 8 mat. in Acroat. min.

IV.

M. ANDREAS WANOCHIUS, Phil. Pract. & Hiſt. Prof. Ord.
circumactis iterum iterumque, per Divinam gratiam, Pro-
feſſionis ſuæ partibus, eundem publicarum Lectionum cir-
culum denuo ſic ingredietur, ut Doctrinam *Ethicam* & *Politi-
cam*, anno jam ineunte, publice hora IX. ante merid. in Au-
ditorio infer. Deo propitio, profiteatur; etiam extra Ari-
ſtotelem demonſtrando, usque quo ex ductu rationis in di-
ſciplinis iſtis liceat adſurgere. Publice autem propoſita Di-
ſputationibus privatis dilucidabit.

V.

M. PETRUS HAHN, Prof: Phyſices Ord. abſolutâ, elapſo an-
no, parte generali Scientiæ Naturalis, nec non ex ſpeciali,
Doctrinâ Aquarum ſupracœleſtium, Cœli, Stellarum & Ele-
mentorum; habito etiam Collegio privato in eadem Scien-
tia diſputatorio, futuris lectionum publicarum periodis, au-
xilio ſupremi Numinis occupabitur in Doctrina effluviorum
explicanda, & progredietur, quousque licuerit, idq; hora
decima in Auditorio ſuperiori: privatim vero Collegium
lectorium vel diſputatorium, Deo duce, habebit.

VI.

M. SIMON PAULINUS LL Hebrææ & Græcæ Prof. Ord.
[illegible] abſolutis qvantum ratione
virium, temporis & camptus Diſcentium fieri potuit, labo-
ribus in Elencho anni ſuperioris promiſſis, receptâ metho-
do continuabit, horâ p. m. primâ in Auditorio inferio-
ri Analyſin Hebræo - Philolog. Pſalmorum Davidis â
LXXIII. ordine ſequentium & Græco - Philolog. Epi-
ſtolar. D. Jacobi, Petri, Johannis: imo etiam, pro voto ſtudio-
ſæ Juventutis, Fundamenta LL Orientalium & Græcæ, nec
non Plutarch. περὶ παιδ. ἀγωγ. aut Orationes ſelectas Iſocra-
tis denuò expandere perget.

VII.

M. DAVID LUND, Poëſ. Prof. Ord. publicè in Æneïdos
expoſitione perget, & in ea qvidem, brevi librum ſextum
aggredietur, qua in opera ita occupabitur, ut junioribus
æquè ac adultioribus, ſua prodeſſe qveant ſtudia. Privatas
ſcholas, eo qvo ſvevit modo, & in qvibus ſolet partibus, iis
aperiet, qvos intellexerit, illarum teneri deſiderio. Doce-
bit hora X. in Auditorio inferiori.

VIII.

M. ANDREAS HASZELQWIST, S.S. Theol. Prof.
publicus, extraord. Articulis fidei locorum Theologicorum
Communium, beati Hafenrefferi, librum primum, ſecundum,
& tertium, ad articulum de prædeſtinatione incluſivê concer-
nentibus, publicis lectionibus & privatis diſputationibus,
hucusq; gratiâ divinâ abſolutis; hocce Anno, initium, Auſpi-
ce JEſu, faciendo â loco de Chriſto, methodo receptâ, nem-
pe horâ undecimâ antemeridianâ publicè legendo, & qua-
vis ſeptimanâ prælecta privatim diſputando, omnes articu-
los, qvi reſtant, hujus Auctoris, ad finem perducere conabitur.

IX.

M. MAGNUS STEEN, Philoſophiæ Profeſſor Extraord.
poſtqvam elapſo Rectoratus anno, Computũ Eccleſiaſticum
cum praxi chronologica publicè abſolverit, privatim vero
Globorum ac Mapparum uſum expoſuerit, futuro prælectio-
num Academicarum intervallo, divina adjutus gratia, Geo-
metriam hora XI. in Audit. Mathem. aggredietur explican-
dam; privatis autem curis in Arithmetica ſtudioſam pubem
exercebit: in cæteris etiã philoſophiæ partibus, qvantum ratio
temporis admiſerit, eidem legendo ac diſputando inſerviet.

Impr. apud JOHANNEM WALLIUM, Reg. Univ. Typogr. 1690.

7690-